

Colombi Tui numerosi me plane confundunt, uti 129, 130, 131, 132, 133, 134; numquam tot sint species, sed vel sexus vel ætatis differentiae multæ. Quis hæc expediat.

Papilio iste heliconius no. 6 erat pulcherrimum specimen; unde hunc habuisti? ego ex Indiis reportavi et in mss habeo; Sloane delineavit hunc in America.

Chrysomelam istam no. 1 an ipse legisti, vel aliunde habuisti? ego non possum eam enumerare. 3 & 4 erant pulchri; hos antea non observavi.

4 & 5 difficile determinantur.

6 Acaro Ricino nimis affinis.

7 unde accepisti? si ex Algirio, vix videtur differre.

Generosissimus juvenis de Moltke mihi perplacuit; gerebat faciem purissimam, animam candidissimam, ingenium acre, moresque gratissimos; potui ex ejus facie divinare imaginem summi ejus parentis, cui debet naturæ scientia quam alii ulli magnatum plura. Felices, imo ter felices vos qui sub tanto Mæcenate naturæ colitis scientiam.

Vale et fave addictissimo Tuo.

Upsaliæ 1764 d. 20 Augusti.

Fere oblitus suissem gratiarum actiones reddere pro Tua Entomologia, quæ etiam rite mihi tradita est.

a Monsieur Mons^r M. Th. Brünniche

frij br.

Kopenhagen

(2) Viro Clarissimo

D^{no} Mart. Thrane Brunnichio

s. pl. d.

Car. von Linne

Equ.

Tuas d. 25 Octobris datas rite accepi, nec pulchriores gratioresque excepit; ditatae enim erant illæ tam pulchris naturæ speculis, ut nescio num pulchriores viderim. Insecta enim erant omnium rarissima et egregie conservata; reliqua delineata tamque affabre proposita ut defectum subjecti vivi-